

05 A 412

05

A

412





ΑΣΚΗΜΑ ΓΛΩΤΤΙΚΟΝ

Sive

EXERCITATIO PHILOLOGICA

De

POSSIBILI

CAMELI TRANSITU

PER FORAMEN ACUS,

Ex

Cap. XIX. vers. 24. MATTHÆI

Quam

*In Celeberrimis Wittebergens. Athenis*

PRÆSIDE

M. JOHANNNE JACOBO *Geslen*/

Ulmâ-Svevo,

*Publicæ Φιλολογούντων censura submittit*

RESPONDENS

BALTHASAR KIRCHNERUS,

Vratislaviensis Silesius,

*In Auditorio Minori hor. matut. d. XXIV. Septembr.*

*A. clō Ioc LXX.*



WITTEBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Academ. Typogr.

ANNO clō Ioc LXXVII.

AZKEMA LAOTTKON  
EXERCITATIO PHILOLOGICA  
DC  
POSSIBILI  
GAMMEL TRANSITIV  
KUR HORAMEN ACIS



05 A 472



Ulm sacrata divinæ Philologiæ  
penetralia oculis animisq; perlustra-  
mus, plurima reconditæ doctrinæ ac  
venerandæ antiquitatis monumenta  
mentes nostras penè in stuporem ra-  
piunt, quæq; eligant, aliisq; antepo-  
nant, suspensas æquè ac perplexas red-  
dunt. Nobis verò semper maximoperè arridebat possi-  
bilis ille & mirabilis Cameli tortuosi per exiguum acus  
foramen transitus, cujus etiam admiratione commoti,  
ut præsentem hanc *ἱστορίαν* in nos susciperemus, ador-  
naremus. Nihil metuentes minus, quàm quod de Angelo  
Politiano circumfertur, nimirum agebat ille: se nullum  
tempus perdidisse pejus, quàm quod lectioni & medita-  
tioni Bibliorum impenderat, unde etiam in locum le-  
ctionis istius substituit Eclogam Virgilii, & libros Ovidii  
de arte amandi. Sed paremus nos potius præcepto divi-  
no, illudq; auro contrahabemus. *Ἐλευσὶν τὰς γράφας.*  
Quare paulò uberiori stylo in præsens, quid veritatis,  
contra antitheseos falsitatem, ex natura rei & S. literis,  
quantum quidem fori nostri ratio permittet, subsit, pro  
virili enodare animus est. DEUS cœpta nostra feliciter  
provehat, ac benè secundet.

I. N. J.

## Proœmium.



Ulm sacrata divinæ Philologiæ  
penetralia oculis animisq; perlustra-  
mus, plurima reconditæ doctrinæ ac  
venerandæ antiquitatis monumenta  
mentes nostras penè in stuporem ra-  
piunt, quæq; eligant, aliisq; antepo-  
nant, suspensas æquè ac perplexas red-  
dunt. Nobis verò semper maximoperè arridebat possi-  
bilis ille & mirabilis Cameli tortuosi per exiguum acus  
foramen transitus, cujus etiam admiratione commoti,  
ut præsentem hanc *ἱστορίαν* in nos susciperemus, ador-  
naremus. Nihil metuentes minus, quàm quod de Angelo  
Politiano circumfertur, nimirum agebat ille: se nullum  
tempus perdidisse pejus, quàm quod lectioni & medita-  
tioni Bibliorum impenderat, unde etiam in locum le-  
ctionis istius substituit Eclogam Virgilii, & libros Ovidii  
de arte amandi. Sed paremus nos potius præcepto divi-  
no, illudq; auro contrahabemus. *Ἐλευσὶν τὰς γράφας.*  
Quare paulò uberiori stylo in præsens, quid veritatis,  
contra antitheseos falsitatem, ex natura rei & S. literis,  
quantum quidem fori nostri ratio permittet, subsit, pro  
virili enodare animus est. DEUS cœpta nostra feliciter  
provehat, ac benè secundet.

A 2

MEM.

# MEMBRUM PRIMUM

Παρασκευαστικόν.

## §. I.

**D**E Cameli transitu possibili per foramen acus, dum præsentem adornatum imus *Παράσκευσιν*, in limine statim, quo de futuro præcisè sermo nobis sit, inculcandum existimamus. Varia quidem de stupendo hoc transitu disputari possent, quibus universis, ut certi limites ponantur, accuratè in antecessum id observatum volumus, non quælibet, quæ hoc factum plenariè pertractandum, quomodocunqve pertinent, momenta hic attendi. Verum id unicè à nobis directè in præsentem ac primariò consideratum iri, ut dispiciamus. Utrum transitus cameli, animalis gibbosi, per foramen acus sit possibilis?

## §. II.

Id ipsum verò *ἀμφισβήτημα* vix ullo modo dexterius, quàm ex ipso fundamentalij dijudicari textu potest. Haud enim lubricis cujusvis temerè commentis inhærendum, sed Christi potius hic attendendum verbis est. De hisce enim verum semper est, quæ in Thalmude arrogantissimè penitus ac falsissimè de Rabbi-  
nicis dici solet : כּל דבריהם רבין אלהים *i. e.* omnia illorum verba sunt ipsissima Dei viventis verba. Sic autem authentica Evangelistæ Matthæi habent verba. Πάλιν δὲ λέγω ὑμῖν, εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον δια τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ πλῆσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν. S. Marcus verò c. 10. v. 25. & Lucas cap. 18. v. 25. sic memoriæ proditum reliquerunt : Εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον δια τῆς τρυμαλιᾶς τῆς ῥαφίδος διελθεῖν (Luc. εἰσελθεῖν) ἢ πλῆσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν. Cum hisce harmonicè conspirat Versio Vulgata, dum hunc in modum loquitur : Et iterum dico vobis, facilius est camelum  
per

per foramen acus transire, quàm divitem in regnum Dei ingredi. Ubi illa maximè verba redduntur controversa, quando dicitur: κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν. Vel enim ea de animali quadrupede gibboso, vel de fune anchorario, ex lino crasso confecto; vel de porta quâdam in urbe Hierosolymitanâ admodum angusta & depressâ, per quam Camelus onustus transire non poterat, exponi diversis posse Commentatoribus videntur.

### §. III.

Quibus difficultatibus ut eò feliciter expediamur, alias hic quoque adire Versiones, haud inconsultum fortè erit. Ita autem Interpres Syrus hæc ἠρξατο φράζει.

ܠܘܟܢ ܐܢܝ ܠܥܘܪ ܚܘܪ ܗܡܬܫ ܡܢܘܬܐ ܐܬܝܥܫܘܪ  
 ܘܢܘܠܥܒܘܕ ܗܘܐ ܠܥܒܘܕ ܗܘܐ ܠܥܒܘܕ ܗܘܐ ܠܥܒܘܕ  
 ܘܢܘܠܥܒܘܕ ܗܘܐ ܠܥܒܘܕ ܗܘܐ ܠܥܒܘܕ ܗܘܐ ܠܥܒܘܕ  
 ܘܢܘܠܥܒܘܕ ܗܘܐ ܠܥܒܘܕ ܗܘܐ ܠܥܒܘܕ ܗܘܐ ܠܥܒܘܕ ܗܘܐ ܠܥܒܘܕ

Quibus cum paria facit Versio Hebræa apud Eliam Hutterum in N. T. Harmonico, ita sonans: ועור אני לכן קר הוא לעבוד הגמל בער חור המתש מנח את עשיר אל מלכות אלהים:

### §. IV.

Quibus ita perceptis, perplexum nunc dubium exsurgit, qualis nam cameli transitus sit asserendus? Cui quæsito antequam planiorem nunc Πίρις paremus, ex præcepto Ebræorum in

A 3 Pirke



*Pirke Avoth. c. 5.* *לֹא יִשְׁתַּחֲוֶה אָדָם לְבַיַּת אֲחֵר* acturi, statum quæ-  
 stionis ad determinatos prius limites restringemus, quo minus ad-  
 versantium nobis obesse corruptelæ queant. Itaque (1) haud  
 negligenter ducimus esse advertendum, non quæri de transitu  
 possibili cameli gibbosi per portam angustam in urbe Hierusa-  
 lem, cui nomen Acus erat impositum: nec (2) de transitu cameli,  
 ( funis nautici in minutissimas partes diribiti, ) per foramen acus,  
 id enim tantum abest, ut inficias eamus, ut sine miraculo id con-  
 tingere posse asseramus. Neque (4) disquiritur, utrum Deus in-  
 tuentium oculos perstringere potuerit? ut cameli formam re-  
 præsentare posset id, quod per foramen acus transitum admitteret.  
 Sed (5) in controversiam venit, an Camelus, animal gibbosum  
 salva ejusdem manente essentia, possit revera, virtute tamen su-  
 pernaturali, per foramen acus minimum revera transire? Qui-  
 bus ita ad meliorem rei perceptionem in antecessum enodatis,  
 adorimur nunc

## MEMBRUM SECUNDUM

*Ἀνασκευαστικόν.*

### §. I.

In Scriptorum verò hæc de re placita inqvirentes, varias at-  
 que inter se haud parum discrepantes deprehendimus sententias.  
 Quarum prius nonnullas, obelo censorio notandas nobis esse in-  
 telligimus, quàm τὴν θέσιν nostram φυλάττειν allaboremus. Ac  
 primò quidem sese offert sententia illorum, qui per κάμηλον fu-  
 nem nauticam significatam esse volunt, *Calvinus in Harmon. p. 256.*  
 mentem suam de hac re ita exponit: *Cameli voce funem nauticam*  
*potius, quàm belluam notari arbitror,* annotatq; in *cap. 19. Matth.*  
 à parte sui quondam stetit, etiam *S. Patres.* *Theophylactus* prodit  
 quosdam per κάμηλον non intelligere τὸ ζῶον, sed τὸ πικρὸν χοιρίον,  
 ὃ κερῶνται οἱ ναῦται πρὸς τὸ ρίπτειν τὰς ἀγκύρας, funem illum  
 crallum, quo nautæ utuntur ad jaciendas anchoras. Hisce adsti-  
 pulatur *B. D. Ægid. Hunnius* super h. l. cujus verba hic adpono.  
 Came-



Camelus autem hoc loco, non animal terrestre significat, quoniam  
D. Hieronymus ut & Erasmus hoc ita opinantur, sed significat funem  
grandem, seu rudentem nauticam, in quo significatu vox hæc apud  
Suidam quoque, usurpata legitur. Ut enim camelus animal ingrediatur  
seu transeat acus foramen, est in omni natura prorsus impossibile. Ut  
autem funis nauticus trajiciatur per id foramen, est quidem non  
planè ἀδύνατον, est verò longè difficillimum & cum immenso labore  
conjunctum, Christus autem non de re simpliciter impossibili, sed dif-  
ficili admodum differit, ideoque non animal, sed rudentem, ut dixi, in-  
telligi voluit. Quomodo igitur labore cum magno, tum diu-  
turno opus foret, ad trajiciendum ingentem istiusmodi funem per fo-  
ramen acus; (ita namque opus foret negotiosa resolutione in minuta fi-  
la, & deinde unius filii post alterum trajectione, quam ad rem ut la-  
bor longè molestissimus; sic tempus quoque, bene longum requireretur)  
sic Christus similitudine hæc indicat, quanta sit molis, ut homo dives  
omnes suas opes per angustum illud foramen via stricta & porta ar-  
cta ad vitam ducentis transmittat, h. e. cor suum avocet à prepostero  
amore & studio divitiarum hujus sæculi. Hactenus ille.

## §. II.

Et hanc significationem pro fune nautico crassiore, com-  
probat Scholiastes Aristophanis, sed tunc per (ι) scribi addit κά-  
μιλον. Hinc videtur significatio funis nautici (repeto verba  
B. Schmidii in Not. ad h. l. p. 278.) aliquibus huic convenientior, per  
quod crassus funis, integer quidem διελθεῖν non potest, in partes au-  
tem fibrosas diductus & distractus, transire potest, licet cum κόπῳ.  
Et tamen εὐκοπώτερον seu facilius laboris est hoc præstare, quam  
ut dives in regnum cælorum ingrediatur. A quo haud multum  
abesse videtur B. Dn. D. Balth. Meisnerus in Consider. Theol. Pho-  
tin. p. m. 323. cum in hæc verba erumpit: Non operosè hic dispu-  
tabo, quid per κάμιλον intelligatur, num animal, vel funis nauti-  
cus? Animal tamen intelligendum esse probat eruditè J. Drusus lib. I.  
Observ. cap. II. p. 12. & 13. Sed assumatur quodcumque placuerit, ma-  
net thesis Christi: camelum per foramen acus transire posse. In se-  
quen-

quentibus tamen verbis præfert animal rudenti anchorario. *Georgius Pafor in Lexico Græco-Latin. in Nov. Test. p. m. 245.* pendulus in utramque sententiam, & quâ per κάμηλον denotatur animal terrestre, & quâ notatur funis nauticus, esse videtur.

### §. III.

Coeterum κάμηλον significare τὸ ἀχρόφορον ζῶον non παχὺ χροῖον, docent *B. Gerbardus in Annot. ad cap. 19. Matth. pag. 854. B. D. Danhaw. in Hodom. Calvin. Phantasm. X. p. 3092. D. Wellerus in Fasciculo viventium Brunsvicensi p. 534. Magnif. Dn. D. Calovius in Metaph. Div. cap. 8. de Ubiet. πορισ. 6. p. 396. Mart. Spilenbergerus in Promptuario ad h. l. Conferantur ex Patribus B. Augustinus in Quæst. Evang. l. 2. qu. 47. Hilarius in cap. 19. Ambrosius in cap. 18. Luca, aliiqve.*

### §. IV.

Sunt denique alii, qui quidem admittunt, per camelum inditari animal gibbosum, impossibile autem esse putant, per foramen acus illum transire posse, ideo verba *Ὡς τρυπήματῶν ῥαφιδῶν* explicant de porta quâdam Hierosolymis, cui nomen Acus; adeò structura humili, ut camelus animal illud ingens & grandis magnitudinis, ingredi non posset, nisi exoneratus prius. Cujus opinionis mentionem injicit *Nic. de Lyra* in h. l. Huc quoque trahunt *Maximum Episcopum* Hom. super Matth. cap. 19. ubi sic: *Qui honoribus inflatus & auri thesauris dilatatus, tanquam onustum animal & impeditum per angustum regni iter transire non poterit.*

### §. V.

Jam quid de perplexis opinionibus hisce sit statuendum, expeditum dabimus. Primam opinionem originem suam exinde duxisse putamus, quia funis nauticus cum acu plus analogiæ habere, quam Camelus, penes autores censebatur. Igitur primam

mam sententiam, quâ nauticum funem per κάμηλον notari vo-  
 lunt citati autores, hic non mereri sedem, confirmamus (3.) Quia  
 nec Ebræum חַמֵל, nec Chaldaicum ܚܡܠ, nec Syriacum  
 ܚܡܠ, nec Græcum κάμηλον per η (κάμηλον enim  
 per (1) Suida in lit. i. est παχὺ χοινίον) nec Latinum Camelus  
 (quem suo nomine Syriaco in Latinum venisse Varro l. 4. testa-  
 tur) hac in significatione usurpatur. (2.) Quia tres non tantum  
 Evangelistæ eadem utuntur voce Græcâ, sed & Syri antiquissima  
 metaphrasis vocabulo minimè æquivoco reddidit, uti ex præ-  
 cedentibus videre est. (3.) Si dicendum quod res est, tunc teste  
 Wallæo in Com. ad h. l. p. 212. & Ang. Caninio in Disq. Loc. Nov. Test.  
 nullum bonum Græcum (Suidam excipe) reperies facilè, qui aut  
 κάμηλον aut κάμηλον pro rudente vel quovis fune usurpat. Quod  
 enim penes Aristophanem ita inveniri nonnulli urgent, ad hoc  
 reponit Drusius l. i. Observ. c. ii. locum esse de mendo suspectum.  
 His (4) adde, quod de eo fuerit sermo Christo, quod ἀδύατον di-  
 scipulis esse videbatur, vers. 26. ὅτι ἀνθρώποις τὸ ἀδύατόν ἐστι  
 ὅτι δὲ θεῷ πάντα δυνάτα ἐστι. At verò funem nauticum per fo-  
 ramen acus transmittere, non est apud homines impossibile, si  
 nempe fit per unius filii post alterum trajectionem, licet im-  
 mensus labor requiratur, multumque temporis conferatur ne-  
 cessum sit.

## §. V.

His positis cadit altera sententia, quæ utrumque locum ha-  
 bere, rudentem nempe & brutum quadrupes stridensque; asserit.  
 Unius enim vocis non nisi unam significationem propriam, prin-  
 cipalem ac famosiore, à qua reliquæ pendent, admittendam  
 in uno loco esse, haud frustra censemus, cum voces sint signa  
 rerum, manifestentque conceptus, quemadmodum autem res  
 sunt per se unum quid, ita & voces rerum signa. Vid. Vir omni  
 præconio major Scaliger l. 13. de Caus. LL. c. uli. Quare hæc de con-  
 troversia non τὸ ἐπιχειρῆν sed firmam aliquam sententiam tenere  
 multum expedit. Igitur illos, qui camelum animal gibbosum

B

hic

hic amplectuntur, & nos sequimur, de quo paulò pòst. Nunc deveniendum brevibus ad ultimam classem, quæ de portâ Hierosolymitanâ exponit responsum præsens. Sed quoniam hæc sententia nec ex sacris literis ullo idoneo demonstrari potest documento, nec fide dignis Historicis est innixum, immò à textu originali, in quo proprietas literæ tamdiu tenenda, donec manifesta urgeat necessitas, planè aliena, ideo eâ facilitate, quâ asseritur, à nobis rejicitur.

## MEMBRUM TERTIUM

Κατασκευαστόν.

### §. I.




Itaque ut tandem, qualisnam intelligendus sit cameli significatus hic loci, planum evadat illi, qui scire hoc avet, tenendum accuratè ex *B. Hackspanio* lib. 1. Miscell. cap. 1. triplici modo primam vocis acceptionem investigari posse. Primò quidem ex origine, dum scil. aut nomen à verbo, aut verbum à nomine derivatur. Secundò ex usu Autorum, si plerique omnes vocabulum eodem usurpant sensu frequenter. Tertiò ex harmonicâ conspiratione lingvarum, maximè Orientalium, si nempe frequentio-rem illius voculæ significatum constanter retinent, quæ tria indicia copulanda sunt.

### §. II.

Jam quod κάμηλον frequentissimè æqvè ac propriè denotet brutum quadrupes, stridens, callosum, robustum, mansuetum, ad portanda onera factum (definiente ita *B. Sperlingio in Zoolog. p. 181.*) evincere solent sequentia. Ac (1) quidem sive κάμηλον primitivum statuas, sive cum *Georgio Pasore* derivativum ex Hebræo חמל mutatis literis palatinis ח in κ, addendoq; os, Græcam terminationem, res extra controversiæ aleam posita est. Si (2) autorum frequentem spectas usum, animalis gibbosi significatum corroborari, non diffiteri poteris, nisi in calcaneo cerebrum geras. Nam non tantum penes *Ælianum, Aristotelem & Xenophontem,* (qui vocem hanc frequentius usurpat in genere fœminino,) verum

rùm

rūm etiam apud *Herodianum* persæpè invenire licet. Sic *Herod-  
dianus* l.4. *Histor.* cap.15. p.217. de prælio *Artabani* cum *Macrino*  
scribit: Πατῆντες γάρ οἱ ἵπποι, αἶψα κάμηλοι μάλιστα ἔχουσαι  
ἀπαλά τὰ πέλματα ὠκλαζον καὶ ἐχώλευον. Calcantes enim  
eqvi, potissimum verò cameli habentes molles ungulas claudi-  
cabant; & in seqq. πλῆθ' ὃ δὲ ποσῶν ἀνδρῶν τε καὶ κτηνῶν ἐφο-  
νεύθη ὡς πᾶν πληρωθῆναι τὸ πεδίον, μεγίστης τε σωρῆς πτωμάτων  
εἰς ὑψ' ἀρθῆναι, καὶ μάλιστα τῶν καμήλων ἐπ' ἀλλήλων πιπυσῶν.  
Tanta autem virorum jumentorumqve multitudo cecidit, ut  
omnis compleretur campus, maximiq; cadaverum acervi in al-  
tum attollerentur præsertim verò camelorum, qvi alii super alios  
procubuerunt. Plura scire qvi avet, legat eundem loc. cit. pas-  
sim. (3.) Deniqve & consensus Lingvarum, id manifestis probat

documentis. Nam qvòd Græcis κάμηλος id Syris  eodem in significato, nec Arabs abludit, qvi itidem vocem Came-  
li de animali gibboso accipit. Item apud Ezechielem Prophetam  
in V.T. c. 25. v. 5. inquit supremum Numen  רבבָה תִּתֵּן  
יְהוָה לְיִשְׂרָאֵל דָּבֹהַ רַבָּבָה in habitationem Camelorum.  
Qvòd Targum hoc reddidit pacto:  רַבָּבָה לְמִדְבָּרָא Præterea  
sententiam nostram confirmant codices Græci, qvos & Parisien-  
ses & Londinenses contulerunt, qvi ut antiquissimi probatissi-  
miqve, ita etiam constantissimè habent κάμηλον per η, non per  
iota κάμιλον, qvòd apertissimum pro animali gibboso documen-  
tum. Amplius evincit id parallelismus, in qvo gibbus cameli cum  
gibbo & sarcinis, divitibus regnum cœlorum cludentibus com-  
paratur. His adjice similem Christi salvatoris nostri locutionem  
proverbialem, qvæ Cap. 23. v. 24. Matthæi legitur de Pharisæis, qvòd  
sint Duces cœci διυλίζοντες τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καὶ πί-  
νοντες, excolantes culicem, camelum autem deglutientes, ubi cum  
minimo animalculo bestia confertur maxima. Plura hanc in rem  
adducunt *B. Gerhardus* *Loc. cit.* *B. Franzius* *de Interpret. Script. S.*  
*Tarnovius* *in Exerc.* Insuper multum hic faciunt verba *Hieronimi*  
*in Epist. ad Hedibiam.* Camelus tortuosus & curvus est, & gravi sar-  
cina prægravatus. Et nos ergo, quando pravas ingredimur semitas, &  
oneramur mundi divitiis, regnum Dei ingredi non valemus.

§. III.

His ita in medium productis pro significato Cameli animalis gibbosi; jam aliud tranandum est mare salebrofum. Maxima oriri hic solet penes Philologos controversia; An nimirum proverbialis hæc locutio salvatoris nostri delectissimi ex Thalmude desumpta sit; Ita quidem *Cl. Schindelerus in Lexico; Pentaglott.* sentire videtur, ad vocem גמל: Nec multum recedit Talmud ipsum in Tractatu Benedictionum, ubi ita legitur: נקיפת רעיון: פילה רמחטו: quod ita exponitur. Elephas ingrediens per foramen acus: Sed Christus pro Elephante dixit Camelum, qui notum animal in Judæa fuit. Hanc proverbialem locutionem, quam apud Thalmudistas observavit *Angelus Caninius*, approbavit etiam *Wallæus Comment. in h.l.* scribens. *Sed de Elephanto dici, cujus loco Christus Camelum ut animal Syriae notius substituit.* Aquila Philologorum Dieu etiam ab hac sententia non multum recedit, scribens. At fortassis ita vulgus etiam in Syria loquebatur. Verum enim verò non levibus prohibemur rationibus, quominus sententiæ huic calculum adjicere nostrum possimus. Nam (1) non possunt produci luculenta hujus rei testimonia ex scriptis Nov. Test. E. verisimile haud censendum. Deinde (2) hæc ratione Pharisei ansam criminandi arripuissent, quasi doctrinam suam suffuratus esset Christus, quod tamen haud factum esse sacrae nos docent paginae. Quapropter (3) non diffitemur quidem, Servatorem ex ore vulgi & communi loquendi modo paræmias quasdam accepisse, & ad suum propositum accommodasse, ut eò dilucidius ac melius informaret populum; eas verò ex Thalmude decerpas esse *ἀποτόμωσ* inficias imus, cum id non nisi in quibusdam privatis schedulis haberetur tunc temporis, & urbe capta ac devastata, templo desolato & Judæis in exilium expulsis, in librum commentarium redactum est, quem librum משנה Mischnam h.e. *δευτέρων* iteratam & secundam legem appellarunt, atque hanc legem recepit universa Judæorum Synagoga, ut juxta illam omnes Judæi posteri; eorum deinceps semper viverent, uti etiamnum hodie vivunt, uti id ex Chronico Hebræorum צמח דוד *Tbze-mach David* demonstrat in *Synagoga Judaica Clariss. Buxtorfius Cap. 3.*

Cap. 3. pag. 60. qui, si lubet, consulatur. Et (4) denique paroemia recensita ita comparata est, ut identitas magnoperè non appareat, aliquo ei accedit, sed non est eadem nisi *Φανουλίως*. Rectè igitur tandem pronuntiatur, Christum rem difficilem *παρομιανῶς* significare voluisse & usurpasse proverbium præsens vulgo familiare.

#### §. IV.

Anteqvam ulterius progrediamur, nobis occurrit alia *ζητήσις*. An nimirum posito ac probato exprimi hic non *χρῆσιον ἀνιδειον* *πρὸς ἀγνοίας*, sed animal gibbosum, *θεσπιδεῖον* phrasologia sit hyperbolica vel thetica? Priorem sententiam suam facit *Franciscus Lucas* in hunc locum scribens: *Quando comparativo (facilius) utitur Salvator, non intelligit impossibili magis impossibile esse, sed hyperbole est in hujusmodi loquendi generibus usurpata, quæ est illud de iis, inter quos insanabile dissidium est. Prius ovem ducat lupo uxorem. Quo cum consentit Jansenius in C. 100. Conc. Nec tamen, ait, necesse fuit dicere, hæc sententiâ Dominum significasse impossibilitatem, sed simplicissimum fuerit, hyperbolen esse in hac locutione, quæ Dominus vulgari modo locutus, tantum significare voluit, valdè difficile esse, divitem ingredi in regnum Dei. Hancq; hyperbolicam ac abusivam comparisonem cum Theod. Beza agnoscit quoque Wallæus loc. cit. Nos tamen nec hyperbolicam nec hypotheticam locutionem, sed *ἑλκυστὴν* ac propriam cum *Summè Rever. atq; Magnif. Dn. D. Calovio, Præceptore obsequiose Venerando in Metaph. Div. l. c. & Dn. D. Danbauero in Hodom. Calvin. loc. cit.* hic militare defendimus, siquidem immediatè subjungitur vers. 26. apud homines hoc est impossibile, sed non apud Deum, *πάντα γὰρ δυνατὰ εἰπὶ τοῦ θεοῦ*. Nam apud Deum omnia sunt possibilia cùm divitis tùm Cameli introitus. Deinde nec dogmatica Christi locutio, nec res locutioni substrata, rei augendæ gratia accersita veritatem excedit. Et quæ urget necessitas, ut τὸ ἤντιον deseramus, adq; tropum Rhetoricum confugiamus? Ut autem res exactè constet, probè observandum est ex *Celeberrimo Theologo B. Dn. D. Danbauero loc. sepè cit.* Paroemiam aliquando strui ex *ἀδυνατῶ*, aliquando ex *δυνατῶ* producitur.*

centis explicandam esse dicit, ut comparationes abusivæ exponi solent per oppositum, cum adverbio minus; ut citius locusta pariet bovem, prius aquilam testudo vincet, h. e. minus impossibiliter. Altera, quæ licet fieri difficulter possit, fieri tamen ex mente dicentis potest. Sic Jerem. 13. v. 23. היהפך כושי עורו ונמר היהפך חכרוב רתון Num evertet pellem suam Æthiops, & pardus varietates suas seu liventes maculas. De ultima paroemia igitur participat Christi responsum, cum in iudicio divino nullam involvat repugnantiam, neque ex parte Dei, neque ex parte cameli, servata essentia & quidditatis totalitate, neque ex parte foraminis acus angustissimi. Sed hic ulcus tango Calvinianorum, qui ratione metiuntur summam Dei potentiam, & hoc tanquam simpliciter *ἀδύνατον* proclamant. Audiatur *Wallæus in Comment. ad cap. 19. Matthæi. Sicut talis dives pendens à divitiis quispian, quamdiu talis est, ingredi nequit in regnum cælorum. Ita neq; Camelus, qualis est natura, ingredi potest per foramen acus: Ille quidem quoniam per peccatum, iste verò quoniam natura talis est. At DEUS utrumq; immutatum, & illum quidem docens ab ipso uno pendere, istum verò tam gracilem efficiens, quam fieri necesse est, in utroq; infinitam suam virtutem reipsa demonstraverit. Huic succenturiatur *Adrianus Heerboord, qui, si Deus quantitatem annihilat, ait volum. 2. Diss. 2. p. 495. tunc mons & camelus poterunt intrare per foramen acus, quod tamen ἀδύνατον in Evangelio censetur.**

### §. V.

Sed ut appareat status controversiæ, quæstionem hunc formabimus in modum. An scil. Camelus, animal gibbosum, salvâ manente essentiâ per exiguum acus foramen verè transire vi Divinæ omnipotentia possit? Antequam autem affirmativam firmis corroboremus argumentis sententiam, in antecessum moneamus (1) quæri non de actualitate, sed saltem de possibilitate transitus Cameli per foramen acus. (2) supponimus, nobis sermonem esse de camelo animali integro sine essentia mutatione, non attenuato & in tenerrimas ac subtilissimas partes immutato. (3) Impossibile aliud est simpliciter tale aliud secundum quid, seu ut alii efferunt, vel secundum naturam impossibile, vel secundum intel-



intellectum creatum, nos quærimus unicè de impossibili, quod in iudicio ac mente divina inconciliabilem contradictionem implicat. Denique (4) quæritur de situati, expansiva ac accidentali extensione quoad actum secundum, non autem de intrinseca situatione, cum una pars extra aliam est entitativè. Priorem separari posse vi potentissimæ Dei virtutis à causis unde emanat, sicut ab igne sublata est ustio, à gravi ferro actualis gravitatio, homo sanæ mentis vix ac ne vix quidem negare poterit.

### §. VI.

His positis rectâ viâ probamus quæstionem nostram & quidem (1) ex verbis clarissimis ipsius Christi, qui ipsa veritas, ac perinde nil nisi veritatem loqui potuit: nihil unquam falsi, nihil dolosi in sacrosancto illius ore inventum est, hujus igitur assertioni credendum. *Ευκοπώτερον γὰρ ἔστι καίμηλον ἀπὸ τετυμαλιάς ἔραφιδος εἰσελθεῖν.* Sic sonant verba Christi ap. Lucam c. 18. 25. (2) Ex responsione vers. 26. cum enim hoc discipulos in stuporem raperet adeò, ut concluderent, nullum ex divitibus fore salvum, repperit Christus salvator. *Τὸ ἄδύνατον ἔστι ἡ δὲ ἀνθρώποις.* Hoc impossibile apud homines, apud Deum autem omnia sunt possible, quæ scilicet rationem factibilitatis habent. Hinc θεὸς Ἰπνεύσαντα πάντα δυνατὰ καὶ ἀνεμπόδιστα. *Τῇ γὰρ ἐκείνῃ βεβλήσει ἔδεν ἀντισηναὶ δύναται.* i. e. Deo annuente omnia possible sunt, nec quicquam impediri potest. Illius enim potestati nihil potest resistere. Dicit optimè *Bartholomæus Syrus apud Eusebium l. 6. de præpar. Evang. p. 165.* Utri igitur credamus, Christo? qui τὸ δυνατὸν docet, an Heerbordio speculationes rationis corruptæ sequenti, qui τὸ ἀδύνατον vociferatur. Nos in Christi verbis acquiescimus.

### §. VII.

Et hic veritatis radius perstrinxit aliquo modo non solum oculos *Theod. Beza & Wallai*, sed & *Sadeelis lib. de sacram. Mand. c. 4. p. 316. atq; Dan. Chamieri in subselliis Scholæ Calvini haud infirmi, l. 6. Panstrat. c. 7. num. 9.* ubi ita loquitur: *Posse Camelum à Deo redigi in tantam tenuitatem, ut transire possit per foramen etiam minus. Nam & corpora post resurrectionem futura sunt tenuiora longe &*



*gè & subtiliora, quam nunc sunt. Atqui nullum esset miraculum, si extenuetur ad filitenuitatem. Nullum? Hoc verò pernego. Nam etsi non sit in transitu, esset tamen in attenuatione. Radius aliquis, ut dixi, veritatis est, non veritas ipsa. Alterationem quidem, salvâ manente essentiâ, in Camelo gibboso ratione accidentalium affectionum negare non audemus, verùm Textus Originalis noster loquitur de Camelo, non de eo, quod non est Camelus. Si autem essentia Cameli mutatur, Camelus non amplius manet camelus. Idem etiam evincit analogia divitis, de quo non de attenuato sermo Christi est. Quare utrumque fieri posse per omnipotentiam divinam, & ut dives salvetur, & camelus per foramen acus transeat dictis verbis innuit salvator. Deinde Chamier supersedere potuisset suo simili de corporibus post resurrectionem. Quia corpora gloriosa post resurrectionem non amplius gaudent quantitate accidentali, quod ex penetratione eorum alia corpora non gloriosa firmisimè colligitur. Quod autem Corpora Gloriosa alia non gloriosa penetrent, disertè Johannes c.20.19. affirmat, Christum nempe introivisse ad discipulos τῶν θυρῶν κλεισθῶν, cum fores essent clausæ, non quidem ita, ut vel sponte illi fores patuerint, vel ipsi parietes pervii fuerint, ut habet glossa marginalis Theodor. Beza, sed per invias ac bene vereq; clausas & obseratas fores ingressus est. Si jam idem Chamier de Camelo asserit, quod de corporibus gloriosis asseruimus, nempe quod & de camelo quantitas accidentalis separari atque auferri possit, tunc videat ipse, quomodo cum suis fratribus Calvinianis communiter omnibus concilietur, in specie autem cum Sam. Mareño in Not. ad Distinct. Celebr. Castanai, p.89. ubi ita dicit: *Immo formalis ratio corporeitatis in illa quantitativa extensione sita est, quam citra contradictionem à corpore separare vel abstrahere non possumus: quod ostendit quàm absurdè in papæu corpus Christi physicum & naturale locetur sub puncto, ubi nec quantum nec mensurabile, nec extensum fingitur esse.**




05 A 412

**ULB Halle**

3


004 208 676



WNA







ΛΟΤΤΙΚΟΝ

ΦΙΛΟΛΟΓΙΚΑ

ΒΙΒΛΙ

ΡΑΝΣΙΤΟΥ

ΕΝ ΑΚΟΥΣ,

ΜΑΤΘΑΙ

*Stebergens. Athenis*

ΙΔΕ

ΙΑΚΟΒΟ Γεβλιν/

vevo,

*in censura submittit*

ΙΔΕΝΣ

ΚΙΡΧΝΕΡΟΥΣ,

is Silesius,

*invenit. d. XXIV. Septembr.*

*in c. LXX.*



ΕΡΓΑ,

ΚΕΛΙΙ, Academ. Typogr.

in c. LXXVII.